

Utrum increati verbi emanatio sit a patre eternalis generatio. Arguitur quod non, quia omne genitum incepit esse, igitur. Consequentia nota, quia nihil quod incipit esse potest esse eternum. Antecedens probatur sic, quia sicut se habet generatio ad esse, ita corruptio ad non esse et econverso, sed omne quod corrumpitur esse desinit, igitur omne quod generatur incipit esse.

Ad oppositum est magister in littera. Pro solutione quaestionis pono conclusiones.

Prima est quod verbi increati emanatio est a patre eterna generatio. Probatur tripliciter. Primo sic: omne illud cuius esse non precesit non esse est eternum. Sed generatio Filii est huius, igitur. Maior patet (27vb) tet, quia omne quod non est eternum fuit ex tempore et in omni tali non esse precessit suum esse. Minor probatur, quia omne illud cuius esse precessit non esse quando producitur mutatur de non esse ad esse sed generatio eterni verbi cum sit Deus non potest esse huius, ut patet per secunda conclusionem precedentis questionis, igitur.

Secundo sic, quia generatio verbi increati est a patre per modum nature, igitur est eterna.

Antecedens patet per Magistrum libro 51 distinctione 5, consequentia patet, quia omne producens naturaliter habet producendum coevum nisi ibi sit aliquod impedimentum ut patet de sole et eius splendore de igne et eius calore et similibus, sed in illa generatione nullum potest esse impedimentum, quia ibi agens non potest impediri a superiori vel a contrario, quia nullum tale habet nec ex indispositione materie, quia ibi non est.

Si igitur pater habet productum coevum et est Deus et sic eternus, igitur et filius erit eternus et sic eius generatio est eterna.

Tertio sic per argumentum Augustini 6 de De trinitate, capitulo 1, quod ponit Magister in littera Dei filius est virtus et sapientia Dei, sed sapientia Dei est eterna et virtus eius sicut et ipse Deus. Igitur et filius est eternus. Maior est Apostoli I ad Corinthios, 1, minor apparet quia aliter aliquando fuisset Deus et non fuisset sapiens nec virtuosus, quod est nefarium.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: omne illud cuius esse est sua duratio si habet principium esse habet principium durationis, sed in filio Dei idem esse est quod sua duratio, et habet principium sui esse. Igitur et durationis. Igitur non est eternus.

Maior de se nota, minor probatur primo quod ibi idem sit esse duratio. Patet, quia quicquid est in Deo Deus est, distinctione 8 primi, sed quod habeat principium sui esse patet, quia est ab alio et pater est principium filii, ut ait Magister libro 1 distinctione 5 et ut ait Augustinus, 4 De trinitate, capitulo 14.

Secundo sic: si generatio filii sit eterna, igitur filius semper gignitur. Igitur nunquam genitus est, et ita nunquam est filius. Iste due consequentie probantur per Augustinum octuaginta trium questionum, quaestione 3, qui ait: "qui semper nascitur nunquam natus est".

Igitur si filius semper nascitur nunquam natus est, et ultra qui nunquam natus est nunquam est filius, igitur si filius semper nascitur nunquam est filius.

Tertio sic: nihil accipit illud quod semper habeat et habet, sed filius accipit a patre esse, igitur non semper habuit esse. Tunc sic filius non semper habuit esse, igitur non est eternus. Patet, quia accipit esse post non esse. Et confirmatur, quia nihil quod producit essentia divina potest esse coevum (28ra) divine essentie.

Igitur eadem ratione nihil quod producit persona divina potest esse coevum divine persone.

Respondeo. Ad primum dicitur quod principium dicitur multipliciter et equivoce, ut patet 5 Methaphisice, capitulo primo. Et dico quod quando aliqua duo sunt unum formaliter, illud quod est principium unius est principium alterius et hoc eodem modo accipiendo principium.

Ideo dico quod esse filii est eius duratio et sicut filius habet principium sui esse originis sic et eius duratio sive eternitas habet principium originis. Quia sicut esse filii est a patre, ita et eius duratio, verumtamen licet concedatur simpliciter quod esse filii habet principium, quia li 'principium' de vi vocis consuevit construi cum li 'esse', sed quia non consuevit construi cum li 'duratione',

quia si dicitur principium durationis de vi vocis et communiter intelligitur de principio temporis et non originis et ideo non conceditur simpliciter ista.

Pater est principium durationis filii nisi addatur aliquid determinans li 'principium', ut si dicatur: 'Pater est principium originale durationis', tunc bene conceditur, sed tunc non sequitur filius habet principium originale sue durationis, igitur non est eternus. Vel aliter dicitur quod duratio aliquando refertur ad rem cuius est duratio et tunc idem est quod res durans. Aliquando ad mensuram durationis et tunc idem est quod mensura qua res durans mensuratur. Dico igitur quod omne illud quod habet principium durationis ut duratio refertur ad mensuram inceptit esse, et non est eternum, sed non ut refertur ad rem durantem.

Ad secundum dicendum quod verba omnium temporum vere dicuntur de Deo. Unde de ipso dicitur. Quecumque audierit loquetur ac si diceret nunc audit et non cum signo nunc temporis, sed eternitatis, ut nunc eternitatis coexistit illi vel illi differentie temporis.

Verumtamen verba presentia dicuntur magis secundum appropriationem de Deo quam preterita vel futura. Et inter presentia verba quedam sunt magis explicite experimentia veritatem divine generationis quam alia, qualia sunt ista semper natus est quam ista semper nascitur. Utraque tamen est simpliciter vera. Dico igitur quod non sequitur semper natus est. Igitur semper nascitur nisi in creaturis. Et ideo ista nisi glosetur non est sic simpliciter admittenda semper nascitur.

Ad tertium cum dicere quod nihil accipit illud quod semper habuit. Dico quod accipere aliquid ab alio dupliciter intelligitur. Uno modo aut quia illud non habet et verum est aut quia a se non habet et non oportet. Potest enim quis ab alio accipere quod habet, licet non habeat a se. Sicut miles dicitur accipere feudum suum (28rb) antiquum a novo domino quando illud recognoscit ab illo. Dico igitur quod filius accepit ab eterno esse a patre non quia aliquando non habuerit esse, sed quia esse non habet a se.

Ad confirmationem dico quod non est simile de productione essentie et persone quia illa que producuntur ab essentia producuntur ad extra et essentialiter differunt ab essentia divina. Productio vero persone est ad intra et productum non differt essentialiter producere. Ideo non valet.

Secunda conclusio est quod increati verbi generatio non infert genitorem esse priorem genito. Et intelligo conclusionem de prioritare reali que infert priorem esse et illud quod est prius differt essentialiter. Probatur tripliciter

Primo sic: talis generatio non infert genitum non esse verum Deum. Igitur antecedens probatur, quia cum ipsa stat vere quod filius genitus est verus Deus. Consequentia nota, quia Deo nihil potest esse prius, cum Deus sit primum ens universaliter et simpliciter.

Secundo sic, quia si pater generans esset prius genito, aut ista prioritas esset quantum ad substantiam patris aut quantum ad relationem. Sed nullo modo, igitur. Maior patet, quia nihil est in patre nisi substantia et relatio. Et minor patet, quod non quoad substantiam potest esse prior, quia substantia una numero simplicissima est patris et filii. Igitur si pater quoad substantiam esset prior filio. Idem simplicissimum esset prius seipso quod implicat, neque quoad relationem, quia relativa sunt simul tempore et natura et posita se ponunt etc., ut dicitur in Predicamentis.

Tertio sic: filius est eternus. Igitur consequentia nota quia in eternitate nihil prius aut posterius et antecedens patet quia est Deus.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: pater est principium filii per generationem, igitur talis generatio infert genitorem esse priorem genito. Antecedens est Augustini 5 De trinitate capitulo 14 et consequentia patet, quia principium habet rationem prioritatis. Immo est idem quod prius, secundum Philosophum 1 posteriorum primum et principium idem dico.

Secundo arguitur sic: pater dat esse filio per generationem et filius per ipsam a patre accipit esse, igitur. Antecedens patet libro 1, distinctione 19. Quia filius nascendo accepit a patre quicquid habet et consequentia patet. Quia cum dare sit maioris dignitatis, quam accipere iuxta verbum Salvatoris ut habetur Actibus, 20, beatius est magis dare quam accipere. Sequitur quod dans dignitate ad minus sit prior accipente. (28va)

Tertio sic: omne quod est ab alio est posterius illo a quo est, igitur. Patet consequentia, quia per generationem filius est a patre. Sed antecedens patet, quia omnis causa naturaliter est prior suo effectui propter quod dicit Philosophus 1 Posteriorum "primum dico cui alteri per ipsum et non ipsi per alterum".

Respondeo. Ad primum nego consequentiam, concedo antecedens.

Ad probationem dico quod principium et principiatum sunt in duplici differentia, quia quoddam est principium quod differt essentialiter a re principiatum et est in omni creatura, et de isto valet consequentia secundum philosophum.

Aliud est principium quod est idem essentialiter cum principiato sicut in divinis pater cum filio, et pater cum filio cum spiritus sanctus et in istis non valet consequentia nec principium idem est quod prius.

Ad Philosophum dico quod sua propositio solum tenet in primo modo principii., licet ipse crediderit ipsam esse veram universaliter, quia ipse non vidit quo aliquid possit esse principium alicuius rei quod cum eo esset idem essentialiter, et ideo credidit hoc universaliter esse verum. Sed fides que ponit oppositum, scilicet in Deo idem esse essentialiter principium et principiatum habet ponere quod ibi non est prius et posterius que supponunt distinctionem essentialem.

Ad secundum dico quod ubi esse dantis differt ab esse accipientis dignius est dare quam a accipere, sed hic non est talis differentia.

Ad tertium dico quod omne quod est ab alio effective bene est posterius illo a quo est. Quia tale esse ab alio infert distinctionem essentialem effectus et cause. Sed hic filius non est a patre per generationem effective, quia filius non dicitur a patre factus, sed solum est a patre originative.

Unde in simbolo dicitur quod filius est a patre non factus, nec creatus sed genitus.

Tertia conclusio est quod in creati verbi generatio infert generantem esse alium a genito. Probatur tripliciter. Primo sic: nulla res se ipsam valet gignere, igitur consequentia nota, et antecedens est Philosophi 2 De anima textu commenti 47 dicentis quod nihil se ipsum generat sed salvat. Item Augustinus 1 De trinitate capitulo 1.

Secundo sic: in creati verbi generatio infert genitum esse a generante et non econverso, igitur antecedens patet. Quia formali consequentia sequitur filius est a patre genitus, igitur filius est a patre, non tamen sequitur. Filius est genitus a patre. Igitur pater est a filio. Consequentia, patet quia aliter de eodem predicarentur predicata contradictoria, ut contradictoria sunt, quod implicat.

Tertio arguitur sic: creati verbi generatio infert genitum relative dici in generantem, igitur, Patet consequentia, quia nihil tale ad se ipsum dici potest ut ostendit Magister libro primo distinctione 31.

Item hec conclusio probatur auctoritatibus et primo auctoritate Damasceni libro 1, capitulo 2, dicentis quod pater et filius et spiritus sanctus secundum omnia sunt unum pater in generationem et generationem et spirationem. Sed hic non esset nisi generatio inter genitorem et genitum poneret aliquam distinctionem.

Item auctoritate Anselmi Monologion capitulo dicentis quod nec natura promittit nec intellectus capit illum quod est ab alio esse illum de quo est.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: cum in creati verbi generatione stat verbum habere omnia quecumque habet pater. Igitur talis generatio non infert aliquam distinctionem. Igitur nec genitorem esse alium a genito consequentie note. Quia ubicumque unum non est aliud unum habet aliquid vel est aliquid quod non habet vel non est aliud. Antecedens patet per Augustinum 15 De trinitate capitulo 14: Pater, inquit, genuit verbum per omnia sibi equale, non enim se ipsum integre perfecteque dixisset si aliquid minus aut amplius esset in eius verbo quam in patre. Et confirmatur, quia pater dat filio quicquid habet, igitur dat ei essentiam et personam, igitur eadem est essentia et persona, igitur generatio non infert genitorem esse alium a genito. Antecedens patet per verbum Christi Mathaei, 1, dicentis *omnia mihi tradita sunt a patre meo*.

Secundo sic quodcumque aliqua sunt omnino idem unum non potest communicari sine alio, sed in patre persona et essentia sunt omnino idem et essentia communicatur per generationem filio, igitur et persona, igitur et per generationem filius est persona patris sicut est essentia patris, sed est essentia patris eadem numero. Igitur est persona patris eadem numero. Igitur generatio non infert etc. Et confirmatur, quia ita simplex est essentia sicut persona et econverso, sed propter simplicitatem essentie non potest pater generare filium quando sibi communicet totam essentiam suam. Igitur et eodem modo non poterit filium generare quando communicet sibi totam personam. Igitur talis generatio non infert alium etc.

Tertio sic: increati verbi generatio infert similitudinem genitoris et geniti, igitur. Patet consequentia, quia aliter idem respectu eiusdem esset causa similitudinis et dissimilitudinis, cum alietas sit dissimilitudo quedam. Antecedens patet per Damascenum libro 1 capitulo 8 dicentem quod generatio est opus nature nature generans similitudinem.

Respondeo. Ad primum dico quod quicquid habet pater habet filius a patre per generationem, non tamen sequitur quod habet omnia que habet pater, quia quid solum dicit substantiam paterni- (29ra) tas at patris secundum nostrum modum intelligendi non est quid, sed est ad aliquid. Unde notam dum secundum Tarantassium quod in divinis secundum modum

loquendi est triplex predicatum, scilicet quid, quis, que. Quid predicat substantiam, quis predicat personam, que predicat notionem, que intelligitur quasi per modum forme inherens, licet non ita sit, et ex horum trium predicamentorum mutatione fit in divinis fallacia figure dictionis, ideo non sequitur 'verbum habet per generationem quicquid habet pater, igitur habet omnia que habet pater', quia cum antecedente stat quod non habet paternitatem, quia non significatur per modum quid, sed magis per modum que vel qualis. Ex hoc patet ad confirmationem.

Ad secundum dicitur quod verum est quando sunt idem re et ratione. Alias non valet, nam homo et Socrates, licet in persona Socratis sint omnino idem re quoniam vere unum predicatur de alio, tamen homo dicit quid communicabile, Socrates vero quid incommunicabile.

Modo ad propositum licet persona et essentia sint omnino idem realiter, tamen ratione differunt, quia non sunt idem convertibiliter, quia licet bonum sequatur quicquid est pater est essentia, non tamen e converso quicquid est essentia est pater.

Ad confirmationem dico quod ratione quare essentia communicatur et non persona per generationem non est ratio simplicitatis, sed quia essentia est quid absolutum indistinctum et communicabile, persona vero quid relativum distinctum et incommunicabile.

Ad tertium dico quod generatio est opus nature in divinis, ideo ponit similitudinem in natura patris et filii, immo ut verius dicatur in natura patris et filii non est similitudo proprie que habet esse inter duo extrema, sed ibi est omnimoda idemtas, tamen cum hoc stat quod inferat alietatem in persona.

Ad argumentum in oppositum in principio questionis dicitur quod procedit de generatione que est species mutationis et est inter terminos oppositos scilicet privationem et formam, non autem talis est generatio increati a patre filii que non procedit a privatione ad formam quia ibi nunquam fuit privatio geniti cum sit eterna etc.